

Continentur hoc volumine.

1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaej questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaej Oratio contra Atheos cum iustitia Dei spugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmannij disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinojij disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an ea inter se et ab essentia differant et quomodo. R. Heringes.
9. M. Hundshagen de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommex
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine anime rationalis R. Laubingon.

Sammelband

64
26

DISPUTATIO METAPHYSICA
De
SUMMA DEI
PERFECTIONE,

Quam
 Ipso clementer adspirante

&

*Amplissima ac Spectatissima Facultate Philosophica
 benevolè suffragante*

P R Æ S I D E

M. BARTHOLDO MULLERO,

Battusiâ - Brunsvicensi,

In Famigeratissima, quæ est ad Salam, ACADEMIA

Publico Eruditorum Examini

sistit

CHRISTOPHORUS Sommer/

VVratisl. Sil. A. & R.

die Jan.

L. H. Q. S.

A. C. clo. loc. LXV.

J E N Æ,

Typis Joh. Jacobi Bauhoferi.

DISPUTATIO METAPHYSICA

SUMMA DEI
PERFECTIONE

Ipso clementer adjuvante

PRÆSIDI

M. BARTHOLOMÆO MÜLLERO


In Fano, Augusti, quælibet saluti ACADEMIA

CHRISTOPHORUS GUMPERT

A. G. cl. Jac. LXV

JENÆ
Typis Joh. Jacobi Bachleri





I. N. J.

Εἰσὸδος.



Uemadmodum Philosophorum Princeps Aristoteles graviora opera à communi & eleganti quâdam Sententiâ plerumque orsus est, ita & Primam Philosophiam, quæ aliàs Metaphysica vocatur, hac generali & optimâ Sententiâ: Πάντες ἄνθρωποι τὸ εἶδέναι ὀρέσσονται Φύσιν. i. e. Omnes homines naturâ scire appetunt, exorsus est. Ratio hujus Exordii erat, quia, ut Petrus Fonseca Commentariorum in Libros Metaphysicorum Aristotelis Tomo primo pag. 38. & Ernestus Sonerus Comment. in Lib. XII. Metaphysicos Arist. pag. 35. scribunt, non pauci Stagiritæ ætate inveniebantur, qui Scientiæ primæ invidiam conflabant, dicentes eam esse vanam & rei impossibilis. Hos itaque in limine statim Aristoteles acutè refutabat, atque dicebat, tantùm abesse, ut Scientia prima sit vana & rei impossibilis, ut potius omnes homines naturâ scire desiderent & Scientiam appetant. Cum enim unaquæque res naturaliter appetat sui perfectionem, & naturalem habeat inclinationem ad propriam operationem: homo quoque scientiam, quæ maxime perficit intellectum, appetet, & naturalem ad sciendum habebit inclinationem, ut Tho-

A 2

mas



mas ait Comment. in l. c. Sicut autem homines appetunt scientiam in communi: ita inprimis appetitus eorum fertur in primam scientiam, cum hæc tractet de maximè Scibilibus, videlicet de DEO, & de Substantiis intellectualibus separatis, & transcendentibus, ut Comment. in XII. Libros Arist. fol. 17. loquitur Dominicus de Flandria, Angelici Doctoris propugnator acerrimus, qui licet pluribus adhuc cit. loc. probet, quod Scientia prima seu Metaphysica præ omnibus aliis Scientiis quam maximè ab hominibus appetatur & desideretur, mihi tamen in præsentia prolixiore probatione non opus est, siquidem in me ipso hujus veritatem satis deprehendo. Nam nullam Scientiam adeò hætenus mihi expetii atque exoptavi, quam Primam, idque nullâ aliâ de causâ, quàm, quia hæc Scientia de rebus Præstantissimis atque Nobilissimis agit. Quare etiam hac vice animus sedet, nobilissimam aliquam materiam, nempe, de Summâ Supremi Numinis Perfectione ex primâ hæc Scientiâ depromere, eamque sub Disputationis incudem revocare, quod, ut feliciter procedat, ipsum Divinum Numen, de cujus Summâ Perfectione disputare, vel potius balbutire saltim gestio atque expeto, maximopere rogo, ut appetitui meo adesse, eique, ut non planè sit frustraneus, sed finem suum ex voto assequatur, clementissimè concedere velit.

§. I.

BENè monet Aristoteles XI. Metaph. cap. IV. juxta Fonsecam, juxta alios verò cap. V. Τὰς μέλλοντας ἀλλήλους κοινωνήσειν λόγῳ δεῖ τι συνίεναι αὐτῶν. Μὴ γιγνομένῃ γὰρ τῆτι πῶς ἔστι κοινωνία τῆτοις πρὸς ἀλλήλους λόγῳ, δεῖ τοίνυν τῶν ὀνομασίῳ ἕκαστον εἶναι γινώσκον, καὶ δηλοῦν ἔν τι καὶ μὴ πολλά

λα. μόνον δὲ ἐν, καὶ πλείονα σημαίνει φανερόν ποιεῖν ἐφ' ὃ φέ-
ρει τὸ νομα τῶτων. Hoc est Bessarione Cardinale Nice-
no, & Constantinopolitano Interprete, qui sermonem
in vicem communicaturi sunt, oportet ut aliquatenus in vi-
cem intelligant: Hoc enim non factum, quomodo erit eis in-
vicem sermonis communicatio? oportet igitur nominum u-
num quodque notum esse, & aliquid significare, nec multa,
sed unum. Quod si plura significet, manifestare, ad quod
eorum nomen fert. Monitum hoc Philosophi nostri ob-
servaturi, paucis, antequam ipsum propositum no-
strum aggrediamur, ambiguitatem, quæ latet in voce
perfectionis, evolvemus.

§. II.

Accipitur, quantum ad præsens, vox perfectionis,
vel participialiter, vel nominaliter. Participiali-
ter, pro actu effectivo perficientis, seu pro ipsa actio-
ne, quâ aliquid perfectum redditur. Nominaliter,
pro actu formali, quo intrinsecè aliquid perfectum est
cum præcisione respectus, qui fit ad perficiens, sive ad
perfectum reddens. Hæc posterior acceptio est hu-
jus loci, prior vero ab instituto nostro aliena est.

§. III.

Cæterum frequens & usitata acceptio est perfectio-
nis, quâ accipitur pro perfectione simpliciter seu ab-
solutâ, & perfectione non simpliciter seu comparata,
aut secundum quid. Hæc secundum Cajetanum in
Opusc. de ente & essent: cap. 6. quæst. 12. est, quæ in
conceptu suo proprio & formali importat perfectio-
nem imperfectioni mixtam: Illa verò, quæ in suo
proprio & formali conceptu importat perfectionem,
cum nullâ imperfectione. Quæ descriptiones ut intel-

ligantur, paucis explicandum est, quid sit conceptus proprius & formalis. Conceptus proprius est, qui non latius patet, quam res concepta, adeoque nullis aliis rebus tribui potest, cui opponitur conceptus communis, qui latius patet, quam res concepta, adeoque aliis quoque rebus tribui potest. e. c. quando hominem concipio, ut est animal rationale, hic conceptus est proprius, quia hominem tanquam re concepta latius non patet, neque aliis tribui potest; quando vero eundem concipio ut animal, ut sensitivum, est hic conceptus ipsius communis ac genericus, quia eo latius patet aliisque quoque tribui potest. Conceptus formalis h. l. est, qui mentis beneficio abstractus est ab iis, quæ sunt extra rationem essentia alicujus rei, i. e. quo præcisè alicujus rei essentia comprehenditur, & ab omnibus aliis, quæ cum re sunt conjuncta, præscinditur, cui opponitur conceptus rei materialis, quem res habet ratione subjecti, adeoque non est conceptus præcisè ipsius essentia, sed aliorum quoque, quæ extra rationem essentia sunt, & in re inveniuntur. e. c. Ratio Substantia reperitur in Homine, in leone, in lapide, in arbore, sed in hisce inferioribus cum Substantiâ plura sunt conjuncta, quæ sunt extra rationem essentia Substantia, ut substare accidentibus, recipere contraria, compositum esse ex materiâ & formâ etc. Jam si substantiam concipiam cum his, quæ extra rationem essentia ejus sunt, habeo ejus conceptum materiale; si vero abstraham ea, & præcisè substantiam concipiam, ut est ens per se existens, habeo ejus conceptum formalem.

§. IV.

Hisce ita explicatis, facile nunc patet, quomodo Cajetani descriptiones perfectionis simpliciter, & per-

perfectiōnis secundum quid intelligendæ sint. Nimirum perfectiō simpliciter est, quæ quatenus consideratur quoad proprium & formalem conceptum, h. e. quoad illum conceptum, qui re conceptâ latius non patet, quiq; præcisè essentiam rei comprehendit, & ab omnibus aliis, quæ cum eâ sunt conjuncta, præscindit, nullam prorsus imperfectionem, sed puram putam perfectiōnem includit. Perfectiō vero secundum quid est, quæ quatenus consideratur quoad proprium & formalem conceptum, opposito modo se habet, & non includit puram putam perfectiōnem, sed perfectiōnem imperfectione mixtam. E. C. Sapientia est perfectiō simpliciter talis, quia, quando quoad proprium & formalem suum conceptum consideratur, nullam prorsus involvit perfectiōnem: in proprio enim & formali suo conceptu Sapientia nihil fortè aliud est, quam rerum sublimium ac præstantissimarum Scientia, at rerum sublimium ac præstantissimarum Scientia formaliter nullam involvit imperfectionem. Contra humana natura est perfectiō secundum quid, quia in suo proprio & formali conceptu involvit perfectiōnem imperfectione mixtam, proprius enim & formalis conceptus humanæ naturæ consistit in animâ & corpore organico, ex quibus est composita, at eatenus, quatenus composita est humana natura, importat aliquam dependentiam, & ita etiam aliquam imperfectionem.

§. V.

EX quibus porro manifestum est, quod, utrum aliqua perfectiō sit perfectiō simpliciter, an secundum quid? non ex communi aut materiali, sed ex cujusque proprio & formali conceptu æstimandum sit. Sit itaque, ut aliqua perfectiō in communi aut materiali conceptu imperfectionem quandam invol.

volvat: Si modò in proprio & formali suo conceptu
eam non involvat, fuerit nihilominus perfectio sim-
pliciter talis. Sit etiam, ut perfectio aliqua secundum
conceptum communem aut materialem nullam im-
perfectionem involvat; in conceptu tamen proprio
aliquam perfectionem dicat: Illa non pro alia, quam
pro perfectione secundum quid haberi poterit. Sic in
§. præcedenti loco exempli adduximus Sapientiam,
quæ in conceptu suo materiali importat imperfectio-
nem, quia concipitur ut qualitas & accidens quoddam,
cujus natura est, ut dependenter existat à subjecto,
quod maximè imperfectionis est. At licet sapientia
ejusmodi imperfectionem in conceptu suo materiali
importet, propterea tamen non desinit esse perfectio
simpliciter talis, quia sufficit, quod in conceptu suo
proprio & formali nullam prorsus imperfectionem in-
cludat. Similiter loco exempli in §. præced. adduxi-
mus humanam naturam, quæ secundum conceptum
communem omnis imperfectionis expers est, quia se-
cundum eum nihil aliud est, quam substantia sive ens
per se existens. At quamvis humana natura, si secun-
dum hunc communem conceptum spectetur, imper-
fectionem nullam involvat, propterea tamen non pot-
est dici perfectio simpliciter talis. Ratio est, quia si
humana natura secundum proprium conceptum spe-
ctetur, non aliena est ab omni imperfectione, sed ali-
quam compositionem, nempe ex corpore organico &
anima rationali, tanquam ex materiâ & formâ, adeo-
que dependentiam, corruptibilitatem, aliasque plu-
res imperfectiones importat.

§. VI.

CÆterum Scholastici ex Anselmi Monologio cap.
XIV. circa medium, & Profologio cap. IV. ac XI.
in

in fine perfectionem simpliciter ita solent definire: *Perfectione simpliciter est perfectio, quæ melior est ipsa quàm non ipsa in quolibet individuo*, quæ definitio aliquid nobis videtur habere, quod si tamen probè intelligatur, iudicio Viri max. Rev. Ampliss. atque Excell. Dn. Petri Musæi S. S. Theol. Doct. Eiusque in Incluta Julia Prof. Publ. Famigeratiss. in Instit. Metaph. cap. XXXVII. §. 8. satis accurata esse videtur. Sciendum itaque I. quod hæc verba: *melior est ipsa, quàm non ipsa*, bifariam accipi possint. 1. *Contradictoriè sive negativè*, quasi nimirum velint, quod perfectio simpliciter in quolibet melior sit ipsa, quàm non ipsa, h. e. quàm eius contradictio sive eius negatio. 2. *Positivè sive impossibilitèr*, ita, ut nihil aliud velint, quàm hoc: Perfectio simpliciter est melior ipsa, quàm non ipsa, hoc est, quàm quodlibet, quod ei repugnat, & cum eo simul in eodem subjecto stare nequit. Hoc posteriori modo dicta verba in definitione Anselmi accipiuntur, non verò modo priori, cum aliàs sequeretur, quodlibet positivum esse perfectionem simpliciter, quia nullum datur positivum quod non melius sit eius negatione. II. Sciendum, quod ultima verba nempe *in quolibet individuo* sive Ente, intelligenda sint de quolibet ente, non in particulari, & secundum propriam cuiusque naturam, sed generatim accepto, ut sensus sit, Perfectionem simpliciter talem esse, quàm cuilibet enti, eo ipso præcisè quod ens est, melius est habere, quàm non habere. Rationem optimam dat Thomas Comptonus Carleton in cursu sui Theologici Tom. prior. Disput. 6. Sect. 1. fol. 43. *Si enim, ait, propriam & particularem cuiusque rei naturam spectemus, & juxta illam hanc, S. Anselmi definitionem interpretemur, ut nimirum illa sit perfectio simpliciter simplex, quàm melius*

B

fit



fit quodvis ens in particulari habere, quàm non habere, ratio lapidis, aut ligni, & similes, erunt perfectiones simpliciter simplices, cum lapidi melius sit habere rationem lapidis, quam eam non habere, utpote quam si non haberet, destrueretur, cum in alienam naturam migrare nequeat; unde illi melior est ratio lapidis, quam Angeli: & universim, rei, etiam imperfectissima, melior est propria exilis perfectio, quàm aliena quantumvis prestans & excellens. Hæc Carleton, qui tamen adhuc addit, non carere probabilitate, quo P. Arriaga D. 49. Sect. 3. num. 16. affirmat, posse perfectionem simpliciter simplicem explicari in ordine ad naturam cujusque rei, etiam in particulari sumptam, modo comparatio non absolutè fiat, sed conditionatè, ut nimirum illa sit perfectio simpliciter simplex, quam si per impossibile lapis, leo, aut equus e. g. habere posset, melior ei esset, quàm ulla alia perfectio cum hac incompossibilis. Verum hæc explicatio quoad rem ipsam parum videtur differre à præcedente, ut ipse Carleton etiam c. l. fatetur. Plura de definitione Anshel. videri possunt apud Scotum lib. 1. dist. VIII. q. I. Cajetanum in Thomam de ente & essent. cap. II. q. III. Johannem de Rada part. I. Controv. XVII. & Franc. Svaretz lib. 2. disp. XXX. sect. I. num. 8. aliosque quam plurimos.

§. VII.

ET hæc ita in antecessum, ne in subsequentibus remoram nobis injicerent, explicare voluimus. Jam ad ipsum institutum nostrum proximius accedamus. Præcipua igitur quæstio, quæ in præsentis Disputatione nobis tractanda venit, est, An DEUS sit perfectus? Ubi affirmativa omninò est tenenda, quod videlicet DEUS sit perfectus, & quidem perfectione non eâ, quæ respicit aliquod perficiens, sed absoluta & excellentissima;

lima, quæ dicit negationem imperfectionis, qualiscunque illa sit, & è contrario involvit omnem perfectionem in genere entis ullo modo possibilem; Nam *Balbutiendout possumus excelsa DEI resonamus, quod enim factum non est, perfectum propriè dici non potest: Sed quia in his quæ fiunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentiâ educitur in actum, transumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive hoc habeat per modum perfectionis h. e. actionis à per-
ficiente ortæ, sive non,* ait D. Thomas in Summa Sacrae Theol. part. 1. qu. 4. art. 1. fol. 23.

§. VIII.

PROBARI hæc affirmativa proposita nostræ quaestionis potest I. Autoritate S. Scripturæ, quæ solemne Epitheton *אל שרי* Gen. 17. 1. cap. 28. 3. cap. 35. 1. cap. 48. 3. etc. DEO tribuit, cuius Epitheti altera vox *שרי* derivatum esse videtur ex Relativo *ש* & Nomine *רי*, quod abundantiam, sufficientiam, summam plenitudinem & copiam denotat, quam derivationem etiam suo calculo approbat Rab. Moses Majemon in *מורה נבוכים* More Nevochim p. 1. cap. 63. ubi *שרי*, ait, derivatum est à *רי* sufficiens, *ש* vero idem valet quod *אשר*, ac proinde significat, *Qui sufficiens est, quod scilicet DEUS sibi sufficiat, neque opus habeat existentia alius alicujus Entis, aut ut ab alio conservetur, sed existentia suâ sibi ipsi sola sufficiat.* Quando itaque S. Scriptura DEUM *אל שרי* pluribus in locis vocat, hoc vult, quod DEUS sit ejusmodi ens, quod est sufficientissimum & perfectissimum, quod omni bonorum copia abundantissimè refertum est, ita ut non solum nihil ipsum desideret, sed quoque nihil in eo desiderari possit Sic & alibi Sacra pagina DEUM vocat *τέλειον*, perfectum Matth. 5. 48.

ἢ ἀρξιδεόμενον ἕως, non ullius indigentem. Act. 17.
25. מִמֵּת consummatum, perfectum, integrum,
absolutum, omni defectu carentem Job. 36. 4. cap. 37.
16. &c. Summam hanc DEI perfectionem pulchrè
quoque declarat Ecclesiasticus cap. 42. 32. *Glorifican-*
tes, inquit, Dominum quantumcunque potueritis, su-
perualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius.
Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis ma-
ior enim est omni laude &c.

§. IX.

II. **A**utoritate Patrum S. Gregorius Nazian. orat.
49. post medium: *Certè, inquit, hoc est DEUS,*
quod cum dicitur, non potest dici; cum aestimatur, non pot-
est aestimari; S. Augustinus de Spiritu & anima cap. 63.
DEUS, ait, id solus est, quod est, & qui est, estque id, quo
nihil majus cogitari potest, nec melius, nec jucundius, Vi-
ta, Sapientia, Lux, Veritas, Bonitas, Æternitas, Sum-
mmum Bonum, sibi ad omnia sufficiens, nullo indigens, quo
omnia indigent ut sint, & ut benè sint &c. Idem de quant.
animæ cap. 33. *DEUS est omnium rerum Creator, ex quo*
omnia, in quo omnia, incommutabilis eternitas, incommu-
tabilis virtus, incommutabilis caritas: unus verus DEUS
atque perfectus &c. Hilarius lib. 9. de Trinit. *DEUS,*
ait, est invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & elo-
quendum sermo sileat, & investigandum sensus hebetetur,
& complectendum intelligentia coarctetur. S. Anselmus
in Profologio cap. 15. *Ergo, inquit, Domine es quid-*
dam maius, quam cogitari possit. Idem frequentes affir-
mant alii Patres.

§. X.

III. **A**utoritate Aristotelis. Hic non uno in loco
Summam DEI Perfectionem adstruit. IX. Eth.
cap.

cap. 4. inquit: ἔχει ὁ θεὸς πάντα, *habet DEUS ipsissimum bonum, i. e. maximum & perfectissimum.* XII. metaph. cap. 7. DEUM vocat ἀειτον, *optimum, perfectissimum,* & cap. IX. ἀειτην ἕσται, *optimam & perfectissimam substantiam,* XI. Metaph. cum ob summam perfectionem vocat πρῶτον τῶν ὄντων. Et lib. de Cœlo cap. 9. t. 100. dicit τὸ θεῖον πρῶτον καὶ ἀκρότατον ἔτ' ἔχειν φαῦλον ἕδεν, ἔπε ἰδεῖς τῶν αὐτῶ καλῶν ἕδενός εἶναι, h. e. *primum & summum divinum nihil mali habere, nec ullo suorum bonorum indigere.* Item 2. M. M. cap. 15. & 7. ad Eud. cap. 12. de DEO asserit, quod sit αὐτάρκης, *sibi sufficiens καὶ ἕδενός ὡςδεόμενος & nullius indigus.* Huc pertinent etiam Verba, quæ Arist. habet V. Metaph. cap. 16. Τὰ μὲν ἔν καὶ αὐτὰ λεγόμενα τέλεια, ποσαυταχῶς λέγεται, τὰ μὲν, τῶ χτ' τὸ εὖ μηδὲν ἐλλείπειν, μὴ δ' ἔχειν ὑπερβολὴν ἢ ἐκάτω γένει, μὴ δ' εἶναι π' ἐξω, τὰ δὲ ἄλλα ἤδη καὶ αὐτὰ τῶ ἢ ποιεῖν π' τοῖσιν ἢ ἔχειν, ἢ ἀρμότειν τοῖσιν, ἢ ἄλλως γέπως λέγεται, ὡς τὰ πρῶτως λεγόμενα τέλεια i. e. Fonseca in comment. interpretante: *Quæ igitur per se dicuntur perfecta, his modis dicuntur: alia quidem, quia nec eis quicquam deest, quod ad benè habendi rationem spectet, neque in unoquoque genere superantur, neque aliquid est extra. Cætera vero hæc jam ipsa dicuntur perfecta, quod tale aliquid aut faciant, aut habeant, aut alicui tantum accommodentur, aut aliquo modo ex iis, quæ primò dicuntur, perfecta appellentur.* Hisce verbis Aristoteles duos perfecti modos explicat, & quidem prioribus modum, quo primum principium seu DEUS perfectus dicatur, ostendit. Hinc Thomas ibid. Lect. 18. ea ita declarat: *hæc, ait, est conditio primi principii scil. DEI, in quo est perfectissima bonitas, cui nihil deest de omnibus perfectionibus in singulis generibus inventis.*

§. XI.

Denique IV. Summè & maximè perfectum DEUM esse, probari potest aliquibus rationibus & argumentis, quorum primum hoc esto: Quodcunque est ens primum & independens, illud est summè & maximè perfectum. Atqui, *DEUS* est ens primum & independens. Er. Major patet, nam quodcunq; est ante omnia entia, & à nemine esse suum accepit, id necessariò totam essentia & omnis entitatis perfectionem habet. Minor non solum Scripturæ, sed etiam Arist. testimonio firmata est. Scriptura dicit, quod Deus sit *primus & novissimus, Alpha & Omega, principium & finis* Es. 44. v. 6. Apoc. 1. 8. cap. 22. 13. Aristoteles dicit DEUM esse τὴν ἑστῶσαν πρῶτην, & τὴν δευτέραν, & πρῶτον τῶν ὄντων. 12. Met. cap. 7. Ex quo sequitur etiam DEUM esse independentem: quod si enim DEUS est primus & novissimus, Alpha & Omega, substantia prima, & primum omnium entium, necessariò quoque est independens, cum nihil ante ipsum sit, unde dependeat. Major satis clara est: nam quodcunque est ens primum sive ante omnia entia, adeòque à nemine esse suum accepit, is necessariò totam essentia & omnis entitatis perfectionem habet.

§. XII.

Valdè itaque hallucinati sunt Pythagorici & Speusippus, qui, ut refert Philosophus XII. Metaph. putarunt, quod ex hoc, quod DEUS sit principium sive ens primum, non sequatur, eum esse optimum & perfectissimum, cum semina sint principia plantarum, nec tamen perfecta, sed multò imperfectiora ipsis plantis, quæ ex illis sunt productæ. Optimè enim dicit Thomas part. 1. quest. IV. art. 1. fol. 23. *Hujus, quod quidam antiqui Philosophi, scilicet Pythagorici & Leucippus non attri-*

attribuerunt optimum & perfectissimum primo principio, hanc esse rationem, quia Philosophi antiqui considerarunt principium materiale tantum: primum autem principium materiale sit maxime in potentiâ, & ita maxime imperfectum. DEUS autem ponitur primum principium, non materiale, sed in genere causa efficientis: & hoc oportet esse perfectissimum: Sicut enim materia in quantum huiusmodi est in potentiâ, ita agens in quantum huiusmodi est in actu: unde primum principium activum oportet maxime esse in actu: & per consequens maxime esse perfectum, secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu: nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum sua perfectionis.

§. XIII.

Hinc secundò Summam & maximam DEI perfectionem probamus hoc argumento: Quicumque maxime est actu, adeòque alienus ab omni potentia passiva, omnique passione, is habet summam & maximam perfectionem. Atqui DEUS maxime est actu, adeòque alienus ab omni potentia passiva, omnique passione. Er. Major & minor hujus Argumenti patet excipit. verbis Thomæ, cujus Autoritati potest addi Autoritas Aristotelis & Gregorii de Valentia, quorum ille XII. Metaph. cap. 7. & cap. 9. Hic vero Tom. I. Disp. I. q. 3. punct. 2. cum Thomâ idem asserunt.

§. XIV.

Nequè obstat Conradi Vorstii argumentum, quod huc redire videtur: Si in DEO dantur decreta realiter distincta ab ejus essentia, sequitur in DEO dari quoque potentiam passivam. Atqui Antecedens est verum, Er. & consequens. Respondetur enim negando

do Antecedens, quod nempe in DEO dentur decreta realiter ab eius essentiâ distincta, quodsi enim decreta in DEO non considerentur quoad liberam divinæ voluntatis terminationem ad hoc vel illud objectum, sed in se prout se habent ex parte DEI, nihil aliud sunt, quam ipsa essentia sive voluntas divina. Vorstius quidem in Tract. de DEO & attributis divinis pag. 207. Antecedens probat tribus pro Syllogismis: 1. *Quia decreta DEI sunt multa, cum aliud sit decretum creandi homines, aliud predestinandi, aliud reprobandi. At substantia DEI unica est. Er. decreta non sunt ipsa substantia seu essentia DEI, sed realiter ab ea differunt.* 2. *Decreta DEI sunt libera, quia possunt esse & non esse. At Substantia DEI est necessaria, quia non potest non esse. Er. Decreta non sunt Substantia.* 3. *Decreta DEI non sunt ab eterno. Substantia DEI est ab eterno. Er. decreta DEI non sunt ipsa eius Substantia.* Verum ut pluribus ad hæc respondeatur, operæ dispendium esse videtur, cum alii hoc abundè jam præstiterint, præprimis verò Martinus Becanus partim in Theol. Scholast. part. 1. cap. XI. q. 5. fol. 35. & 36. partim, in Manual. controvers. lib. 3. cap. 1. quæst. 3. & 4. fol. in operibus ejus omnibus 1509. & 1510. Item B. Albertus Graucus in quæst. Illustrior. Theol. quæst. IX. pag. 45. seqq.

§. XV.

Tertiò pro Summa DEI perfectione argumentamur ita: Quicumque est summè simplex, ille etiam est summè Perfectus. Atqui DEUS est summè simplex. Er. Major clara est: nam quo quid simplicius est, eò perfectius est, Canon audit Philosophorum. Minor probatur, quia in DEO nulla datur compositio realis neque ex materiâ & formâ, neq; ex partibus integran-
tibus,

tibus, neque ex gradibus per intensionem, neque ex essentia & subsistentia. At in quo nulla prorsus realis compositio datur, ille necessariò summè & maximè simplex est. Equidem Fr. Joan. Duns, natione Scotus, cognomento Doctor Subtilis, ejusque Aseclæ ut Basolis, Hugo Cavellus, Faber, Smising, Bonaventura. & alii statuunt, in DEO dari distinctionem ex naturâ rei formalem; Keckerm. verò in System. Theol. lib. 1. cap. 4. pag. 57, existimat in DEO dari distinctionem modalem, quæ si vera essent, omnino aliqualis etiam compositio realis in DEO concedenda foret. Sed & Scorum cum suis Aseclis, & Keckermannum minus rectè sentire in publico conflictu ostendemus rogati.

§. XVI.

Denique Quartò Summam DEI perfectionem probamus hoc argumento: Si nullæ perfectiones dantur, neque ullæ excogitari possunt, quæ in DEO non sint, sequitur DEUM esse summè perfectum. Atqui Antecedens est verum. Er. & consequens. Consequentia patet. Antecedens probatur, Nam omnes perfectiones quæ dantur, & quæ ab ullo excogitari possunt, sunt vel simpliciter, vel secundum quid tales. At nulla ex his nominari potest, quæ DEO non insit.

§. XVII.

Verum hic jam alia incidit quæstio, nimirum: Quomodo omnes perfectiones, tam simpliciter, quàm secundum quid tales, DEO insint. Commodè ut ad hanc quæstionem respondeatur, præmittendum est, quot sint inessendi modi? Quantum ad præsens, videtur, duos tantùm inessendi modos esse, unum, quo formaliter aliquid inest: alterum, quo aliquid inest e-

C

minen-

minenter. Formaliter aliquid inesse dicitur, quando ipsa entitas sive formalis ejus ratio illi, cui inest, convenit, idque intrinsecè denominat. Eminenter verò aliquid alteri inesse dicitur, quando ipsi non inest talis rei ipsa entitas sive ratio formalis; inest tamen nobilius quid, cum virtute eam producendi. E. C. Calor formaliter est in igne, quia ipsa entitas caloris, ipsaque ejus formalis ratio seu definitio igni inest. Contra vero in sole calor vulgò dicitur inesse eminenter, quia ipsa entitas caloris & ratio ejus formalis sive definitio Soli non inest, & propterea nec Sol à calore intrinsecè & propriè calidus denominatur: inest tamen Soli nobilius quid calore, cum virtute eum producendi. Ex quibus fluit tria potissimùm requiri ad hoc, ut aliquid alteri insit eminenter 1. ut non insit secundum totam suam entitatem, sive secundum rationem suam formalem, adeoque nec res ab eo intrinsecam denominationem accipiat. 2. ut nobilior aliqua virtus insit, & 3. ut ista nobilior virtus possit producere aliam perfectionem, quæ formaliter non inest. Hinc rectè dicit, Vir max. Reverend. D. Doct. Petrus Musæus in Inst. Metaphys. cap. XXXVII. §. 12. quod *perfectio humana natura Angelo neque formaliter insit, neque eminenter. Non formaliter; quia Angelus corpore organico non constat, id quod ad formalem rationem humana natura requiritur. Non eminenter, quia licet Angeli natura sit nobilior quam humana, non tamen usque adeò nobilior est, ut per eam hominem producere possit.* Confer. B. nostrum Stahl. in Discursu ad Tabell. ult. Metaphys. ut & in Regulis Philos. part. 1. Disp. 5. Reg. 2. n. 2.

§. XVIII.

Hisce ita præmissis, jam formamus duas conclusiones: *Omnes perfectiones simpliciter tales sunt in DEO*
for.

formaliter. Ratio hujus Conclusionis est, quia perfectiones simpliciter in primo & formali suo conceptu, ut supra §. 3. diximus, nullam involvunt imperfectionem. Imò ab Anselmo ejusmodi perfectiones dicuntur, ut melius sit eas habere, quam non habere unaque alteram ex eodem subjecto, vel quasi subjecto non excludat. Si igitur DEUS unam ex Perfectionibus Simpliciter talibus non haberet, careret aliquâ perfectione compossibili, sicque aliquis in eo esset defectus, adeoque nec foret Ens omnium perfectissimum. Est itaque DEUS formaliter Substantia, Spiritus, Volens, Intellegens, Sapiens &c. nec ulla ex hujusmodi perfectionibus ei vel deest, vel deesse potest.

§. XIX.

Conclusio. 2. *Omnes perfectiones secundum quid tales in DEO sunt eminenter.* Ratio hujus conclusionis est, quia formaliter non possunt inesse. Nam quodcunque in formali & proprio suo conceptu involvit aliquam imperfectionem, illud in DEO formaliter esse non potest. Jam autem omnes perfectiones secundum quid tales in formali & proprio suo conceptu involvunt aliquam imperfectionem, ut supra §. 3. ostendimus. Er. formaliter & intrinsecè illæ in DEO esse nequeunt. Si Er. formaliter & intrinsecè in DEO non sint, relinquatur, quod in eo sint eminenter, h. e. ita, ut ei non sint secundum totam suam entitatem, neque eum intrinsecè denominent. 2. ut tamen ei nobilior aliqua virtus insit, & 3. ut ista nobilior virtus in DEO possit producere alias perfectiones, quæ formaliter non insunt. Quid verò propriè sit ista nobilior virtus, vid. apud Suarezzium Tom. II. Disp. Met. XXX. Sect. 2. n. 10. pag. 43.

C 2

§. XX.



§. XX.

EX quibus jam fluit non rectè sentire Paulum Voëti-
um, quando in Theologiâ suâ naturali reformata
cap. IV. pag. 46. dicit, quod non omnes perfectiones
secundum quid in DEO reperiantur eminenter. Verba
ejus sunt hæc: *Non omnes perfectiones secundum quid in
DEO reperiuntur eminenter, nisi admodum improprie & me-
taphoricè subinde loquamur. Probat, quia multa perfe-
ctiones secundum quid, si de DEO prædicarentur eminenter,
absurdum efficerent sensum, Deoque prorsus indignum. Ergo
non omnes in DEO eminenter reperiuntur. Consequentia pro-
batur. Quia quæ nequeunt de DEO eminenter prædicari,
etiam in DEO eminenter esse nequeunt. Minor constat indu-
ctione. Nutritio enim, cum sit perfectio secundum quid, de
DEO eminenter prædicari non poterit: cum dici nequeat, De-
us nutritur eminenter. Sic mihi assumam perfectiones sen-
suum externorum, illæ certè DEO eminenter applicari non
poterunt. Nisi quis piam in tantum velit DEUM omnes per-
fectiones secundum quid continere eminenter, in quantum est
fons purissimus & primordialis omnis perfectionis, quæ repe-
ritur in creaturis. Verùm, ut ex hæcenus dictis patet,
ad hoc, ut aliqua perfectio eminenter DEO inest, non
requiritur, ut de eo eminenter possit prædicari. Nam
quæcunque perfectio eminenter DEO inest, secundum
suam entitatem & rationem formalem, ipsi planè non
inest, quomodo itaque eminenter de eo poterit prædi-
cari. Dicas: Sapientia hominis est perfectio secundum
quid, at hæc de DEO utique eminenter prædicatur,
quia DEUS longè eminentiori modo sapiens est, quam
homo. Resp. tantum abest ut Sapientia hominis de
DEO eminenter prædicetur, ut potius de illo planè
non prædicetur. Nam Sapientia hominis ut talis, est
qua-*

qualitas quædam inhærens. Quomodo autem qualitas inhærens de DEO eminenter posset prædicari? quando igitur Sapientia de DEO prædicatur, non accipitur præcisè pro Sapientia hominis, sed pro Sapientiâ DEI, sive potius pro ut abstrahit à Sapientia DEI & Creaturæ. Digna sunt verba Suarezii, ut hîc adscribantur. Nimirum movet Suarez Disp. Met. XXX. n. XII. dubium: *Dices, inquiens, hinc sequi, nullam perfectionem creatam esse formaliter in DEO, quia nulla perfectio creata est, quæ formaliter sumpta, non includat imperfectiorem.* Et postea respondet, *verum esse nullam perfectionem creatam secundum adequatam rationem, quam habet in creatura, esse in DEO formaliter, sed eminenter tantum: non est enim in DEO Sapientia creata, nam ut sic est accidens & finita perfectio: & idem est de cæteris similibus.* Dicitur *Er. DEUS quasdam ex his perfectionibus continere formaliter, quia secundum eas habet aliquam formalem convenientiam cum creatura, ratione cujus illa perfectio secundum idem nomen & eandem rationem seu conceptum formalem attribuitur DEO & creaturæ, salva Analogia, qua inter Deum & creaturam semper intercedit. Quando vero non est talis convenientia, nec formalis denominatio, sed sola efficacitas divina virtutis, tunc dicimus intercedere continentiam eminentialem.* Atque in DEO nulla perfectio est formaliter, nisi vel secundum proprium conceptum DEI, vel saltem secundum conceptum abstrahentem à DEO & creaturis. Quæ si observentur, ut Voëtii Sententia probè labefactari potest.

§. XXI.

Equidem distinguit Voët 1. inter eminenter inesse & virtualiter, sive causativè inesse, & dicit, quod omnes perfectiones secundum quid insint virtualiter

sive causativè, non tamen eminenter. Sed distinctio hæc nulla est, quia eminenter inesse & virtualiter sive causativè inesse sunt unum & idem. Si igitur omnis perfectio secundum quid, ut expressè fatetur Voët pag. 46. virtualiter insunt, insunt etiam eminenter. 2. Distinguit inter eminenter inesse propriè, & inter eminenter inesse impropriè & metaphoricè, atq; dicit, concedi posse, quod omnes perfectiones secundum quid Deo insint eminenter impropriè & metaphoricè, h. e. ut ipse explicat, in tantum, in quantum est fons purissimus & primordialis omnis perfectionis, quæ reperitur in Creaturis, non verò propriè. At verò, quæ perfectio propriè eminenter Deo inest? Resp. omnis illa, cujus Deus est fons purissimus & primordialis, seu uno verbo, cujus Deus est causa efficiens: hoc ipso enim, quo Deus alicujus perfectionis v. g. humanæ naturæ seu sapientiæ humanæ est fons purissimus & primordialis, seu causa efficiens, habet in se virtutem eminentiorem producendi illam perfectionem, adeoque ea eminenter quoque ipsi inesse dicitur. Quia igitur Deus omnis perfectionis secundum quid, seu quæ in creaturis reperitur, ut Voët lubens fatetur, est fons purissimus & primordialis, seu causa efficiens, ideò etiam eminenter omnem perfectionem secundum quid propriè & non impropriè seu metaphoricè in se habet: Si enim impropriè & metaphoricè eam eminenter in se haberet, etiam impropriè & metaphoricè ejus esset causa efficiens, quod est absurdum.

§. XXII.

CÆterum Becanus part. 1. Theol. Scholast. cap. 3. p. 6. dicit perfectiones creatas sive secundum quid tales in Deo esse non tantum eminenter, ut in causa efficiente, sed etiam objectivè, ut in intelligente, & representativè,

tivè, ut in idea seu exemplari. Verùm modum ineffendi objectivè, & modum ineffendi repræsentativè sive idealiter & exemplariter, ad modum ineffendi eminenter sive virtualiter optimè referri posse arbitramur. Nam eminenter perfectiones secundum quid in DEO potissimùm esse dicuntur, quatenus ab eo possunt produci. At verò, ut Deus perfectiones secundum quid producat, necessariò requiritur, ut easdem intellectu suo cognoscat, earumque ideam seu exemplar internum habeat. Qua ratione omninò modus ineffendi objectivè, & modus ineffendi idealiter ad modum ineffendi eminenter pertinere videtur. Relinquitur igitur omnes perfectiones Deo duplici tantùm modo inesse, nempe vel formaliter, vel eminenter. Formaliter, quæ in suo proprio & formali conceptu nullam important imperfectionem. Eminenter verò, quæ in suo proprio & formali conceptu dicunt perfectionem imperfectioni permixtam.

COROLLARIA.

- I. *Perfectiones simpliciter tales de Deo & creaturis neque univo-*
cè, neque equivocè prædicantur.
- II. *Ex perfectionibus Dei simpliciter talibus quedam pertinent ad*
eius primum conceptum, quedam verò ad eius conceptum se-
cundum.
- III. *Aternitas, immutabilitas, immensitas, &c. tantùm in Deo*
sunt formaliter.
- IV. *Volitio malorum cum summa Dei perfectione pugnat.*
- V. *Similiter accidentia propriè dicta cum summa Dei perfectione*
pugnant.
- VI. *Distinctio rationis cum summa Dei perfectione non pugnat.*
- VII. *Neque scientia media & voluntas conditionata cum summa*
Dei perfectione pugnant.
- VIII. *Nulla creatura potest esse simpliciter perfecta.*

Nec



Nec Te trux boreas terret, SOMMERE, nec imber,
qui gemmas mentis trudas ad astra Sophum.
Incrementa probat praesens discursus, & inde
centuplices fructus messis amica dabit.

eximiis conatibus applaudit

JOH. ARNOLDUS FRIDERICI, D.

P. P. p. t. Acad. Rector.

Ad Humanissimum ac Praestantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Fautorem suum dilectum,

De Summâ Dei Perfectione disputantem!

PERFECTUS DEUS est, INDEPENDENSq; ; CREATOR
Mundi; principio, tempore, fine, carens.
Hæc igitur thesibus doctis dum tradis, AMICE,
Gratulor, atque DEUS praesit ubique, precor!

Benevolentiae testandae causâ faciebat

CHRISTIANUS CHEMNITIUS, D.

P. P. Pastor & Superintendens.

PRÆSTANTISSIMO
DN. CHRISTOPHORO SOMMERO,
Philos. & SS. Theol. Cult. indefesso
Cathedram publicam con-

scendenti,
FELICITER!

Omnia quando rigent hyemis squalore sepulta,
SOMMERI nostri messis amœna viret.

benevolentia testanda

adjiciebam

JOH. ERNESTUS GERHARDUS,
SS. Theol. D. & P. P.

Invigilas studiis, SOMMERE, æstate laboras,
Ut eùm bruma venit, sint tibi quæis opus est.
Conatum laudo, ceptis Deus annuat istis,
Et tibi det largâ, quæ cupis ipse, manu.

Eruditissimo Dn. Respondenti

de publico specimine Academico

ex animo gratulatur

SEBASTIANUS Nieman/D.

Cum SOMMERE velis Μῆστον nova bella subire
Pulchrum conatum laudo proboque Tuum.
Contingat felix precor Tibi pugna, feratque
Heïc ac in Patria præmia multa Tibi.

Ita suo inquilino vovet

ex animo

ERNESTUS FRIDERICUS Schröter/

D. & Prof. Publ.

D

Sum-



SUMME-PERFECTUM statuis dum Numen IOVAM,
non imperfectus tu SOPHUS ipse clues.
Gratulor hanc famam! pro fit tibi Mitra Magistri
quâ mox mox somnos cinget Apollo tuos.

*Calamo quidem volante, animo tamen benevolente
suo hæc apposuit Sommero amica mens
& manus*

JOHANNIS Schmidt / Crofn. Siles.
U. J. Doctorandi.

Doctissimo atque Per-Eximio

DN. AUTORI & RESPONDENTI

per omnis virtutis & sapientiaæ dem stre-
nuè grassanti,

Amico & Contubernali suo honoratissimo.



Cernitur æstivis plenus cum campus aristis,
Intonat irraucos stultæ cicada sonos,

At Formica memor famis brumæque futuræ
Exiguo ruris convehit ore cibos.

Hanc sequeris, SOMMERE, cibos dum colligis Artis,
Ævi jucundo flore vigente tui.

Perge: Brabea dabit Phœbus Tibi digna labore,
Atque locus Patrius munera clara dabit.

Gratulabundus calamo incitatisimo adponeb.

PRÆSES.

Incedis, SOMMERE, viâ, quæ ducit ad altos
Parnasfi colles, & summos laudis honores.

Sic alacri pergas cursu, palmamque reportes.

*Paucis hisce Eximio Dn. Autori. Conterraneo suo
suavisimo, amicâ manu applaudeb.*

DANIEL Becher / Vratislaviensis.

Ad

Ad PER-EXIMIUM
DN. CHRISTOPHORUM SOMMERUM,

*Fautorem suum atque Amicum,
ex primis non ultimum.*

Cum de PERFECTO rerum *Sommere* loquaris,
Perfectus fies, gratulor ergo Tibi.

Φιλίας ἐννεκα deprop.

ANDREAS PIRLL,
Mansfeldensis.

Scrutaris multum, disquiris & abdita volvis,
Ponis de Summo lemmata docta DEO.

CONTUBERNALIS, pergas. En! Divus Apollo
Eminus ostendit laurea ferta TIBI.

*Paucis hisce Dn. Contubernali Phil. Cand. Fautori
& Amico suo honoratissimo
ex animo gratulatur*

VALENT. BERNHARD. MYLIUS.
Alfelda-Saxo, Phil. Stud.

Faustè certasti. Vicisti. Præmia carpes.
En doctam frontem cinget Apollo tuam.

*Pauculis hisce Pre-Eximium, Præstantissimum, nec non
Doctiss. DN. CHRISTOPHORUM SOMMERUM,
Philos. Candidatum, Amicum suum singulariter ho-
norandum, ἐλεψίχως acclamare voluit*

GEORGIUS THEODORICUS TAUTE,
Oldenburgensis.

F I N I S.

DR. CHRISTOPH G. ...

Com. de ...

ANDREAS ...

CONTINENS ...

VALENTIN ...

FRANCIS ...

DR. ...

GEORGII THEODORICI ...

F. I. N. I. S.



Fb 3341


ULB Halle 3
001 846 40X



TA-OC

Fb





0. 9

METAPHYSICA

A DEI

TIONE,

adspirante

Facultate Philosophica

ragante

I D E

D MULLERO,

in vicensi,

d Salam, ACADEMIA

m Examini

LUS Sommer/

A. & R.

an.

S.

OC. LXV.

Æ,

i Bauhoferi.

Inches

Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue